



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Synodalis Ad Theodosium Imperatorem De Rebus In Synodo  
Gestis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
381.

*aratri venerant adusti a sole: alii a ligone vel bidente totum diem non quiescente: alii remos exercitusve reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus scedatum cicatricibus habentes, populi gubernatores, ac duces militum, qui ne minimum quidem concessuri videntur: nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas suas perficere nequeunt, gnari, ne fuliginem quidem carnis integre abluerant, flagriones, ac pistrinis digni, &c.*

Ab his sacerdotibus nundinariis, ex lucro temporali fidem temporariam profitentibus, illud tantummodo bonum provenit, vt fidei catholice formulæ subscriberent, atque ita suo chirographo semper ac perpetuo obligati tenerentur, neque pro solita leuitate ad perfidiam Arianam resiliere valerent. Hinc factum est, vt supra etiam dixi, quod Damasus pontifex statuta fidem concernentia, tamquam totius ecclesie decreta, œcumenici Concilii nomine insignita confirmarit, ne pie sancita, vilium personarum subscribentium nomine omnino periclitari possent.

EPISTOLA SYNODALIS  
AD THEODOSIVM IMPERATOREM  
DE REBUS IN SYNODO GESTIS.

*Religionis ac pietatis obseruantissimo, Deique amantissimo imperatori Theodosio sanctum Concilium episcoporum, qui ex diuersis prouinciis præfecturisve Constantinopolim conuenimus, S.*

**I**NITIO quidem nostri ad tuam pietatem scripti, gratias Eadem extat supra Græc. & Lat. in Cœc. Const. pag. 355. agimus Deo, qui tuæ pietatis imperium constituit ad communem pacem ecclesiarum, & sanæ fidei confirmationem. Agentes autem Deo debitas gratias, necessario quoque ea, quæ acta sunt in sancto Concilio, ad tuam referimus pietatem: nempe quod ex quo tempore ex mandato tuæ pietatis Constantinopoli conuenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renouauimus: deinde vero breues etiam præscripsimus ac prænuntiauimus quosdam quasi terminos, regulasve, quibus & patrum qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmauimus comprobauimusque, & quæ aduersus eam obortæ sunt, peruersas hæreses ac prauas opiniones extrema cum execratione ad detestationem reprobauimus. Præterea etiam ad recte constituendum ac ordinandum statum & disciplinam ecclesiarum, certos Canones statuimus ac præscripsimus. Quæ omnia huic nostro scripto subiecimus. Rogamus igitur tuam clementiam, vt per literas tuæ pietatis ratum

Concil. Tom. 3.

Ccc

esse iubeas, confirmesque Concilii decretum: & sicuti literis, quibus nos conuocasti, ecclesiam honore profectus es; ita etiam summam eorum quæ decreta sunt, conclusionem sententia atque sigillo tuo corroborea. Dominus autem imperium tuum in pace & iustitia stabiliat, transmittatque & producat in multas & infinitas usque ætates & generationes, atque ad terrenam potentiam celestis quoque regni gaudium & fructum adiiciat. Gratificetur Deus orbi terrarum, ut te qui re vera pietatis studiosissimus, Deique amantissimus imperator es, valentem, omnibusque præclaris rebus florentem & excellentem videat: id quod sancti etiam ab illo precibus ac votis petunt & orant.

• CONCILIVM<sup>b</sup> AQVILEIENSE  
• TEMPORE DAMASI PAPÆ I.  
CELEBRATVM,

*In quo<sup>d</sup> a triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis episcopis, præsentibus Gallorum & Afrorum legatis<sup>1</sup>, Palladius & Secundianus episcopi Ariani, cum Attalo quodam presbytero, damnantur. Est prouinciale.*

EPISCOPI QUI HVIC CONCILIO  
INTERFVERVNT.

- |  |   |
|--|---|
| <sup>a</sup> VALERIANVS episcopus Aquileiensis.      | <sup>m</sup> Constantius episcopus Arausicus. |
| <sup>f</sup> Ambrosius episcopus Mediolanensis.      | Theodorus episcopus Octodrensis.              |
| <sup>g</sup> Eusebius episcopus Bononiensis.         | Domninus episcopus Gratianopolitanus.         |
| <sup>h</sup> Limenius episcopus Vercellensis.        | Amantius episcopus Niciensis.                 |
| <sup>i</sup> Armenius episcopus Sirmiensis Illyrici. | Maximus episcopus Emonensis.                  |
| <sup>k</sup> Sabinus episcopus Placentinus.          | Basilianus episcopus Laudensis.               |
| Abundantius episcopus Tridentinus.                   | Proculus episcopus Massiliensis.              |
| <sup>l</sup> Philaster episcopus Brixianus.          | Heliodorus episcopus Altinensis.              |
|  | Felix episcopus Iadrensis.                    |
|  | Euentius episcopus Citinensis.                |